


Johann Stein

**Triga Charitum, Quam, Pro Statua Memoriali Natalis nostri, a ... Dn. Joanne Mautnero Pannonio, Amico nostro Apollineo, ac prae Gratiis ispsis gratioso; In Redhostimentum declarati nostri favoris; Ac Contrapignus oblatae nostrae Amicitiae; Nec non Interusurium acceptorum Carminum Erecta: In animi grati Testificationem; Accepti beneficii Remunerationem; Ac amicitiae inceptae Confirmationem; Amoris favoris, ac benivolentiae habenis moderatam tanquam ex debito remitto**

Rostochi[i]: Pedanus, 1630

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746338309>

Druck Freier  Zugang



**MK – 7689.21(1-3)**



Triga,  
CHARITUM,

QVAM,

Pro Statua Memoriali Natalis nostri,

à

*Præstantissimo, Doctissimo, ut & in Poësi  
versatissimo Juvene,*

DN.

JOANNE MAUTNERO  
Pannonio,

*Amico nostro Apollineo, ac præ Gratijs  
ipsis gratioso;*

In Redhostimentum declarati nostri favoris;  
Ac Contrapignus oblatae nostræ Amicitiae;  
Nec non Interusurium acceptorum Carminum

*Erecta:*

In animi grati TESTIFICATIONEM;  
Accepti beneficij REMUNERATIONEM;  
Ac amicitiae inceptæ CONFIRMATIONEM:

*Amoris, favoris, ac benevolentiae habentis moderatam  
tanquam ex debito remitto.*

M. JOANNES STEINIUS  
Eccl. Rost. ad Di. Nic.

ANNO

qVo paCes terrIs Dabls hIs VtI IoVa VoVeMus.

ROSTOCHI,

Litteris Viduæ Joachimi Pedani, Acad. Typ.

---

## Ad Lectorem.

**E**N CH ARIS heic trino MAUTNERUM maclat honore  
Cum Juvenis trino dignus honore fiet.  
Dat, capit, ac reddit; dat gratis Carmina grata,  
Atque capit gratâ, quæ data metra, manu,  
Quin accepta refert etiam cum fœnore magno;  
Hinc trino Juvenem maclat honore Charis;  
Idque facit trinis diversis ordine metris,  
Nomina sub nostro quæ modulara vides.  
Hæc lege, cognosces an non MAUTNERUS honore  
Dignus, at Aonij portio magna Chori.

AUTHOR.



# CHARITUM

PRIMÆ

ΑΓΛΑΙΑΣ,

quæ læta mente achilari vultu accipit  
beneficia data;

*Ad Præstantissimum ac Doctissimum Juvenem*

## DN. JOANNEM MAUTNERUM

Pannonium,

*Memoriæ Natalis nostri Statuarium*

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ



D nostros igitur rursum MAUTNERE penates  
Vestra salutatam Calliopeja venit?  
Natalique meo benedictum voce secunda?  
Quis tuus in nos se prodat honorus amor?

Sic est; porrecta quasi dextra, voce salutat,

Natalisq; mei se meminisse refert;

Non expectati Redhostimenta favoris

Exhibet, & Contrapignus amicitia:

Inter- & usurjum, quo pro Schediasmate misso

Conatur gratas exhibuisse vices.

Quod tamen haudquaquam sperassem, JANE, futurum,

Prodiga nec laudum tam tua metra fore;

Ut me laudatum vellent laudare vicissim,

Laudibus ac laudes accumulare novis.

Verfibus haud multis, antiquo more notatis,

Natalis poteras fors meminisse mei;

At Anagrammatibus tot nomina nostra vicissim

Te decoraturum, spes mihi nulla fuit:

Nam nunc alternos nostras habuisse Camœnas

Rebar congressus, bellaq; bella fatis.

Sed mea dum grato dat signa Thalia receptu,

Et se vult pluteo condere fessa suo;

A 2

Ea

En, novus incurfus, nova dum tua prælia tentans  
 Musa, meam Musam rursus ad arma vocat :  
 Inque restauratas acies Anagrammata plura  
 Producit, minimè deseritura locum.  
 Quid mea ? quid faciat ? deses ne residat, & herbam  
 Porrigat ? ac victam se fateatur ei ?  
 Hoc prohibet, magni faciendum semper, honestum,  
 Laus exantlato quæq; labore fluit.  
 Hinc modò se pugnae parat, atque simillima jactat  
 Spicula, respondens Carmine Carminibus.  
 Et quia me solum telis videt esse peritum,  
 Et me materiem Carminis esse tui ;  
 Te sibi proponit memorandum Carmine rursus,  
 Atque sui te vult Carminis esse scopum :  
 Quem Pater Aonidum mihi Conciliavit Amicum,  
 Musarumq; sacer quem mihi junxit amor :  
 Sis licet auditu, nec visu Cognitus ante,  
 Unde mihi facies extima nota parum :  
 Nec tua verba mihi bipatientibus auribus hausta,  
 Ni, quod & auditus, visus &, hocce die.  
 At hoc quid refert ? animus cum notus ab arte ?  
 Ad nostram, facies, quid facit Andromachen ?  
 Pulchra tuæ mentis facies, & imago decora,  
 Cernitur in cultis diligiturque metris ;  
 Mentem formasti doctrinâ ; mentis amore  
 Tam pulchræ teneor ; mens tua sola placet.  
 Æ scopum toto deformem corpore nosti,  
 De formis facies, brachia, sura fuit ;  
 Præ reliquis Servis Domino tamen ille placebat,  
 Cur ? quia prudenti mente venustus erat :  
 Sic quia mente places, faciem satis esse decoram,  
 Corporis ac formam, Liniolasque puto.  
 Hinc mea Musa fayet tibi, totus & inde favoris  
 Est nostri cumulus, causa satisque gravis.  
 Vericulos ergo solos prætendo favoris ;  
 Illi nam labijs mella fuere meis ;  
 Quicquid hic, aut alius, Cœni quoque jactet in illos.  
 Quavè tui tabie carminis orsa petar.

Zoisus

Zoilus haud alios sibi sumet, crede, labores,  
 Quippe Theoninis dentibus usque ferox.  
 Cujus contemnens morsus, audentior ito  
 Contra, nec cures quid male sanus agat.  
 Flos tuus in nostris nuper qui confitus hortis,  
 Illius quamvis ungue petitus erit;  
 Non tamen interitum, reor, ejus ab impete sumet;  
 Stabit at illius tutus ab ungue fatis:  
 Utpote Phœbea qui luce vigetq; niterque,  
 Non secus ac udo stans rosa verna solo.  
 Ne sine propterea reliquos, tua Carmina, scetus  
 Carcere sub plutei Clausa latere domi,  
 Sed tempestivos pergas excludere partus,  
 Ut videant lucem tempore quisque suo.  
 Interea factum semper te & umq; tuebor  
 Depositum nostræ pignus amicitiae.  
 Utque mihi fidei dextram das mente libenti,  
 Sic dextram fidei porrigo JANE tibi.  
 Siat rata vota, mihi similis quibus esse laboras,  
 Si sum, quem reputas, nobilis ille lapis;  
 Quamvis te pra me viridem reor esse Smaragdum,  
 Cum mea sic recrees corda virore metri.  
 Hic ergo specie potius me participato,  
 Gestet ut in digitis Phœbus utrosque suis.  
 Ast Anagrammatibus quidnam tibi quæso rependam  
 Pro doctis? iterum quæ tua Musa dedit?  
 Nominis ex nostri litris deducta, frequenter  
 Dum cupit in laudes nominis ire mei?  
 Conabar similem tibi pendere JANE monetam,  
 Ac anagrammatibus te decorare novis;  
 Verùm conanti mihi *Concio* vellicat aurem,  
 Ac dicit; Tibi sit regula; *μηδεν ἄγαν*:  
 Cur Anagrammatibus velles certare? laboris  
 Plus, ocijque sibi quæ puto velle dari,  
 Quam si communi versus ratione modoque  
 Scribantur, nullo fortis & intuitu?  
 Sat, succisivum Clariis tribuisse Camœnis  
 Tempus, quod reliquum vendico sola mihi.

A ;

Hoc



Hoc monitu, nostris manibus depono tabellam,  
Currentes calamos fusto, metrique pedes.

CHARITUM

Secundæ

ΘΑΛΙΑΣ,

quæ viridis est, ac floret recordatione acceptorum,  
beneficiorum;

*Ad Momos & Aristarchos, rigidos illos scriptorum  
Mautnerianorum Censores.*

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ.

**A**D Varnum summo Cantantem manè secundana  
Audivi CHARITUM, credite, vera loquor;  
Ac defendentem MAUTNERI carmina nostri;  
Sic autem cecinit, plectra movendo Lyra.  
**C**ALLIOPEN oculis reor aspexisse benignis,  
**MAUTNERUM**, luci cum datus ille fuit;  
Illius atque suo vocem formasse lepore,  
Atque venustatis verba decore lux:  
Tot facit is lepidos versus, habituque venustos;  
Ipsam Calliopem ut cecinisse putes.  
**Q**uod ne fors dictum dempto fundamine veri  
Esse putes, videas nupera scripta modò.  
Edidit haud pridein, quod Rostochiense Lyceum  
Indigirat, scriptum, Varnia camque Rosam;  
Ac Anagrammatibus transponit nomina pulchris  
Doctorum, Scholâ quos, templaque nostra, tenent:  
Ac pro nosse suo tribuit præconia cunctis,  
Ut Sors cujusvis nominis illa dedit;  
Proque modo Clarij, quo raptus, Apollinis æstri,  
Quo trahit is vates, nota docetq; parum.  
De quibus haud alijs quidquam præjudico, quoniam  
Censu vel precio forsan habere velint.  
Sed tamen interea maneat mihi libera, mentis  
Quæ censura meæ, judicijque mei.

Purus

Purus inest illis sermo, me iudice; sensus  
 Perfectus; metrici metraq; iusta pedis:  
 Quin color ac cultus quam plurimus: Ipsaque magni  
 Ingenij Juvenem res satis esse probat.  
 Si quis *Censor* habet quædam tamen *Observata*,  
 Quæ nequeant *Crisin* sustinuisse suam;  
 Is sciat, in cunctis homines quod labimur omnes,  
 A lapsu tutum nec putet esse virum:  
 Cumque sit in proprio forsan modulamine *Talpa*,  
 Nolit in alterius *Lynceus* esse nimis:  
 Verritur in vitium nimium quodcunque; sit arcus  
 Si nimis intensus frangitur atque perit.  
**MAUTNERUM** potius commendet, & orsa laborum  
 Provehat, ac stimulos addat Amore suo:  
 Acrius ut posthac ad *Laurus* currat honores,  
 Profit *Apollineis* atque labore choris.  
 Hæc ubi dicta dedit, Scenam repetendo recessit,  
 Mente sed in nostra dicta reposta manent.  
 Quæ, quia **MAUTNERUM** decernunt, hisce tabellis  
 Explico; quod reliquum, fautor amice Vale.

---



---

## C H A R I T U M

Tertiæ,

ΕΥΦΡΟΣΥΝΗΣ.

quæ delectatur non tam in datis & acceptis, quam  
 redditis beneficijs.

*Ad præstantissimum ac Doctissimum*

**Dn. JOANNEM MAUTNERUM**

Pannonium.

*Hujus triæ Charitum Promotorem.*


ΣΥΣΤΑΣΙΣ.

**G**Ratia dicta *ΧΑΡΙΣ* Græcè, quia munera confert,  
 Accipit ac reddit quæ data fortè sibi;  
 Pingitur hinc manibus confertis *Triga* Sororum,  
 Hæc dat, at illa capit, reddit at ista datum.  
 Fontis ab *Orchomeni* veniens *Aglaia* lavacro  
 Tripudians animis dat sua dona suis,

Sed

Sed tempus viridi strophio bene cincta Thalia  
 Accipit, atque memor permanet, usque virens,  
 Euphrosyné verò, vultus gelafina decoros,  
 Reddere, si liceat munera lata sibi.  
 Has MAUTNERE suum regnum, quis quæso negaret  
 Inter nos CHARITES obtinuisse sibi?  
 Das, capis, atque refers grata donaria mente,  
 Quæ nosti Clario grata futura Deo.  
 Das Anagramma mihi deductum nomine nostro,  
 Deductumque capis post Anagramma tuo;  
 Acceptum verò reddis cum sœnore, gratâ  
 Natalem nostrum mente colendo diem.  
 Nec minus ipse ego, conamine totus in illo,  
 Quò dem, quò capiam, quò data resituam;  
 Neve minus dandi semper delector in actu,  
 Quam si gratuitum forsitan accipiam.  
 Hinc Anagramma tibi do ductum nomine vestro,  
 Deductum capio post Anagramma meo;  
 Acceptumque modo refero; sed sœnore quonam  
 Nescio, transmittens hanc tibi JANÈ CHARIN,  
 Ornata tenui cultu, fuscoque nitore,  
 Exili cinctam vix latus omne pèplo.  
 Attamen ut memorem, sic gratam, Vestra Thalia  
 Natalis voluit quod meminisse mei.  
 Quæ nullus dubito quin sit tibi grata futura  
 Scilicet ex grata mente profecta mihi.  
 Ergo bonis avibus pergas CHARIS, atque subintra  
 MAUTNERI nostri limina; grata venis:  
 Si non propterea Latio quod splendida cultu,  
 Aut quod sub labijs mella favosque geras:  
 Attamen à nobis quod sis emissa, favorem.  
 Hoc tibi MAUTNERI Conciliabit; eas.  
 Tu sed Apollineo mecum devincte Johannes  
 Nexu, mitis ei porrige quæso manum;  
 Et perpende brevi quam sit mihi tempore nata.  
 Inter & officij munera, ducta, mei.  
 Illius unde quidem venient per multa sapore  
 Austero, veluti poma cadiva solent.  
 Quidquid id est autem, capias tamen hancce favoris  
 Nam tibi certa mei, sat scio, signa, dabit,      Vale.





Porus inest illis sermo, me iudice; sensus  
 Perfectus; metrici metraque; justa pedis:  
 Quin color ac cultus quam plurimus: Ipsaque magni  
 Ingenij Juvenem res satis; esse probat.  
 Si quis *Censor* habet quædam tamen *Observata*,  
 Quæ nequeant *Crisin* sustinuisse suam;  
 Is sciat, in cunctis homines quod labimur omnes,  
 A lapsu tutum nec putet esse virum:  
 Cumque sit in proprio forsan modulamine *Talpa*,  
 Nolit in alterius *Lynceus* esse nimis:  
 Verritur in vitium nimium quodcumque; sit arcus  
 Si nimis intensus frangitur atque perit.  
**MAUTNERUM** potius commendet, & orsa laborum  
 Provehat, ac stimulos addat Amore suo:  
 Acrius ut posthac ad *Laurus* currat honores,  
 Profit *Apollineis* atque labore choris.  
 Hæc ubi dicta dedit, Scenam repetendo recessit,  
 Mente sed in nostra dicta reposta manent.  
 Quæ, quia **MAUTNERUM** decernunt, hisce tabellis  
 Explico; quod reliquum, fautor amice Vale.

## CHARITUM

Tertiæ,

ΕΥΦΡΟΣΥΝΗΣ.

quæ delectatur non tam in datis & acceptis, quam  
 redditis beneficijs.

*Ad præstantissimum ac Doctissimum.*

**DN. JOANNEM MAUTNERUM**

**Pannonium.**

*Hujus trige Charitum Promotorem.*

ΣΥΣΤΑΣΙΣ.

**G**Ratia dicta *ΧΑΡΙΣ* Græcè, quia munera confert,  
 Accipit ac reddit quæ data fortè sibi;  
 Pingitur hinc manibus confertis *Triga* Sororum,  
 Hæc dat, at illa capit, reddit at ista datum.  
 Fontis ab *Orchomeni* veniens *Aglaia* lavacro,  
 Tripudians animis dat sua dona suis,

